



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Cap. XLIII. An perpetuus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

7. *In Batavia* Alibi aliter hæc fiunt, atque aliter. vt Hollandiæ morem nostro non admodum dissimilem refert Grotius in *Antiq. Reip. Batavae. c. vlt.* ita tamen vt populi plurimum iudicia interueniant, melius quippe omnibus quàm singulis creditur: singuli enim decipere & decipi possunt, *nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*, inquit Plin. in *panag. ad Traian. & Cassiod.* Dignus est, inquit, principali iudicio, qui à multis meruit approbari; vni enim acceptum fuisse, interdum gratia est, multis placuisse, iudicium.

Quin imò Alexander Seuerus, vt refert Lâpid. vbi aliquos voluisset Rectores Prouinciarum dare, nomina eorum publicè proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret poenam capitis. dicebatque graue esse cùm id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Prouinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum comitterentur, & capita.

8. *Codicilli.* Porro quomocumque pro more regionis Iudices Magistratusve constituantur, officiorum codicillos, seu diplomata accipiunt. *l. 1. C. Vd omnes Iud.* post quæ sacrilegij instar est dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator, *l. 3. C. de crim. sacrileg. l. sacrileg. C. de diuers. rescript.* quia etiam si contra leges quis promoueatur, dum scit Imperator, legibus soluit. *l. 57. D. de re iud.* Scire autem præsumitur, quia ad eum examinis cura pertinet, ad quem confirmatio, stabilitio, consecratio. *c. Venerabilem. x. de elect. c. qui Episcopus 23. dist. 27. tot. dist. 64.*

CAPVT XLIII.

An Perpetuus.

Perpetuus an temporalis Magistratus magis conueniat, iam olim disputatum apud veteres, Platonem etiam, atque Aristotelem, & modernos Bodin. *lib. 4. c. 4. de repub.* rationes politicas deducit. *Consen. polit. lib. 7. c. 10. Besold. diff. 3. de Magistrat. c. 2. n. 5. & Borèl. lib. 1. c. 12.* etiam quid fere vbique gentium obtinuerit. In Rebusp. temporarios satius est esse, ne diutina potestate vnus insoleseat, & ad tyrannidem vergat; in Monarchia minus est periculi, plus auctoritatis in perpetuo Magistratu.

Sed

Sed rectè laudat Loiseau *des offices lib. 1. c. 3.* rationem mediam fortuito ab usu repertam, scilicet concessionem Magistratus usque ad Principis reuocationem. Vnde in Gallia Regiis officiorum codicillis ex formula inseri solet, *tant qu'il nous plaira*: quales tamen ad perpetuos refert Borel. *ibid. n. 69.* In eam rem præclara monitio Cassiod. *variarum lib. 7. c. 2. Sit, inquit, in vestro proposito administrationem vnus anni suscipere: nostrum est merentibus tempus augere.* quare & Capitolin. de Antonino refert, quòd successorem viuenti bono Iudici nulli dedit, & Seuerus, (vt de eo Lamprid.) si cui vnquam successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit Respub.* eumque ita muneratus est, vt priuatus posset honestè viuere. Paul. *Emil. lib. 1.* refert, quòd Duces ab initio Comitèsque à Regibus præficiabantur gentibus, ciuitatibusque, ac, cum videretur, dimittebantur: deinde inuenterauit consuetudo, vt nisi sceleris conuicti abire imperio non cogerentur, inde Officia in hæreditates migrarunt.

In Gallia perpetua reddidisse officia Philippum Pulcrum, periculose voluisse mutare Carolum V. & Ludou. XI. refert *vbi supra* Loiseau, explicatque diligenter prædictum beneplacitum Regium, & Borel. *vbi supra, num. 77. & seq.* quando morte concedentis sub beneplacito non censetur expirasse iurisdictio.

Siue autem tempus Magistratus expirauerit, siue successor ei datus sit, non antè tamen cessat eius officium, quàm successor aduenerit. *l. meminisse D. de off. proc. Borel. vbi sup. l. 1. cap. 12. n. 64.* numquam dari vacuum debet in Rep. numquam acephala esse illius administratio.

1:
Datus
quam diu
videbitur
Principi,
potior per-
petuo vel
tempora-
rio.

LIBER SECVNDVS

CAPVT I.

De potestate Iudicis.



NITIO generis humani omnes homines natura æquales erant, excepta æconomica parentum in liberos potestate, quam natura ac Deus indidit, alia ferè omnis à violentia cœpit. inde in sacris literis Nemroth

1:
Vnde cœpta
potestas?

I robu-